ASSERTIO NES THEOLOGICAE

DE IIS QVAE A D. Thoma

*in tertia parte de Chriſto, & de Sacramentis in ge-
nere diſputata, hoc anno in publicis lectionibus la
tius explicata fuerunt.*

*Proponũtur in diſputationes futuras ante inſtaurationem ſtudiorum,
in Templo Societatis* IESV, *defendendæ ab uno ex Theo-
logicis auditoribus Collegij eiuſdem ſocietatis, Præſide
Theologiæ in eodem Collegio Profeſſore.*

ROMAE *in ædibus ſocietatis*
IESV.
M. D. LVI.

CArnis noſtræ aſſumptione tantum naturæ humanæ Deum tribuiſſe, ut nec maius quicquam ab eo expectari, neq; eius bonitatis euidentius argumentum deſiderari potuerit. Hinc tamen non ſequi, nec eſſe aſſerendum, Deum, nullo exiſtente peccato, carnē fuiſſe ſumpturum, cum neq; id ſcriptura contineat, neq; efficaci poſſit ratione monſtrari.

2 Peccatum ea genus humanum obligatione obſtrinxiſſe, ut niſi Deo ſoluente; pro eo ſatisfieri non potuerit, neq; enim uel humanæ uires, uel ipſæ Angelicæ, poterant hominem in priſtinam reſtituere dignitatem, & à ſtatu illo beatiſsimo deiectum, Deoq; inimicum, in gratiam cum Deo, ita reducere, ut quod amiſerat totum recuperaret.

3 Nec uerò decuiſſe ut tantum beneficium, uel ingrato homini ab initio ſtatim conferretur, uel in tantis poſito calamitatibus in finē eſſet ſæculi differendum, ſed medio tempore uenire debuiſſe mediatorem Dei & hominum, eoq; quo & poſſet infirmitas magis agnoſci, & languenti remedium commodius adhiberi, ea autem fuiſſe hoc aduentu hominibus collata beneficia, ut uideri quidem poſſit, nec homini innocenti tanta à Dei, quamuis infinita, bonitate fuiſſe præſtanda, uideri certè debeat ingratiſsimus, qui non agnoſcat.

4 Nec illud nō eſſe cōſideratione dignū; cū poſſet Deus hominē ī ſtatu relinquere quē is elegerat, uel alijs multiſq; modis liberare, illo id effici uoluiſſe, quo et ſuæ ipſius iuſtitiæ nihil deeſſet, et homini dignitati nō ſolū nihil periret, ſed tantum accederet, ut dici meritò potuerit, fœlicē culpam quæ talem tantumq; meruiſſet habere Redemptorem.

5 De quo quidē myſterio et ineffabili, uel ipſis Angelis, Sacramento, id nos fide, ſacrorumq; Doctoꝝ ſcriptis firmiſſimè tenendum, doceri, non eam in natura fuiſſe factam unionem (neq; enim

potuit) ſed in perſona diuina.

6 Nõ tamẽ propterea proprie dici poſſe compoſitã eſſe Chriſti perſonam, ut enim ſine ulla mutatione, ita ſine compoſitione aliqua, quæ ſemper ĩ diuina ſubſiſtebat natura, in noſtra uoluit humana ſubſiſtere.

7 Cùm autem filium Dei uerum, uerum etiam hominem fateamur, confiteri nos oportere, in eo fuiſſe animam non ſecus corpori unitam, atq; in alijs eſt hominibus, cum quibus unius eſt eiuſdemq; ſpeciei, in ſimilitudinem hominum factus etc.

8 Illam enim unionem non accidentalem eſſe, ſed eſſentialem agnoſcere, qui uerè, ſubſtantialiterq; Dei filium, hominem eſſe fatetur.

9 Quamuis unio & aſſumptio non idem ſint ratione, re tamen non eſſe diuerſa, utrumq; autem eſſe creatum, qua in ipſa, quæ aſſumpta eſt, natura conſiderantur.

10 Maximam eſſe unionem illam, qua ſibi Deus noſtram copulauit naturam, uel ex eo fieri manifeſtiſſimum; quòd filij unitas, ad quam naturæ iunguntur, ſimpliciſſima eſt, & ipſa etiam Trinitatis unitate neutiquàm inferior.

11 Vnionẽ illã per gratiã factã, ſeu ſummã potius gratiã eſſe dicendam, & Chriſto tamen quodammodo naturalem.

12 Eam nullo cuiuſquàm merito extitiſſe, nec extare potuiſſe.

13 Aſſumere, et perſonæ, et naturæ cõuenire, ſed illi magis proprie.

14 Et quãlibet perſonam ſine alia naturam, & omnes eandem ſimul, imò et unã duas naturas aſſumere potuiſſe, ſolũ tamẽ filij perſonam fuiſſe incarnatam, quia ita maximè conueniebat.

15 Quod Doctores curioſius inueſtigantes dicũt Deũ abſtracta perſonalitate poſſe naturam aſſumere, uerum quidem eſſe, ſed illud non ſatis dignè tractari, Deum quãcunq; poſſe naturam aſſumere, ut enim id uerum ſit, non tamen nimia curioſitate, nec niſi modeſtiſſimè diſputandum.

16 *In nulla natura inueniri potuiſſe potentiam aliquam naturalem ad aſſumptionem, in humana tamen congruentiam quandam ſeu rationem fuiſſe, qua meritò præ cæteris fuerit aſſumpta.*

17 *Et ſi difficile eſt, à natura perſonam diſtinguere, nulla tamen ratione concedendum eſſe, Chriſtum perſonam, aut hominem aſſumpſiſſe, ſed naturam quandam humanam, eo enim fieret ut Deus homo non eſſet, hoc factum eſt, ut eſſet.*

18 *Quod ſiquis de ea re dubius, ſibi explicari poſtulet, cur qui naturam aſſumpſit, non hominem aſſumpſiſſe dicendus ſit, neq; enim (ut diximus) admodum patere, quid aliud homo ſit quàm quædam hæc humanitas, huic uno uerbo dicendum, tum humanam naturam hominem eſſe, perſonamq; aliquam, cum per ſe exiſtit ſeparata, cum autem alij iungitur, non iam perſonam dici, ſed perſonæ, ut manus aut brachiū, ſi ſeparata ſint, ſuppoſita dicentur, ſin coniuncta, ſuppoſiti partes.*

19 *Si uero necdum quieſcens, addat, hoc non eſſe hominem non eſſe aſſumptum, ſed, humanitatem Chriſti non eſſe hominem, quæ tamen cum aſſumeretur, ſeu antequàm eſſet aſſumpta homo erat, reſpondendum, non prius unquàm humanitatem illam fuiſſe, quàm eſſet in Chriſto, quare ſi in illo conceditur eam non eſſe hominem, neq; hominem aſſumptum ullo modo eſſe admittendum, quia non ante fuit, quàm eſſet in Chriſto in quo homo non eſt.*

20 *Si uerò quærat, an homo præ exiſtens aſſumi potuerit, curioſam quidem eſſe quæſtionem, eoq; magis quò minus id quod factum eſt percipi poteſt, ſed dicendum tamen, probabile quidem eſſe, id ei non eſſe impoſſibile cui omnia poſſibilia ſunt, futurumq;, ſi ita accidiſſet, ut non duo eſſent aſſumptum & aſſumens, ſed unus idemq; Chriſtus, ut nunc eſt, deſineret enim eſſe perſona qui, cum antea per ſe exiſteret, in alio et per alium ſubſiſtere inciperet; ubi enim una eſt ſubſiſtentia, unam eſſe per-*

ſonalitatem, unumq; eſſe.

21 Probabile nihilominus eſſe, atq; adeo poſſe defendi, quod aliquando D. Thomas ſcripſit, præexiſtentem hominem nullo modo poſſe aſſumi, oportet enim deſinat eſſe qui erat, quod ſine eius naturæ corruptione uix poteſt intelligi.

22 Nec minus eſſe probabile ſemel aſſumptam humanitatem non potuiſſe à uerbo ſine ſui corruptione dimitti.

23 In Chriſto duas quidem ineſſe naturas, ſed unum tantummodo eſſe, ſeu unam exiſtentiam, eſſe enim & eſſentiam diſtingui realiter; neq; apparere, ſi manet humana natura in Chriſto cum ſuo eſſe, cur non duæ in eo perſonæ, duóq; ſuppoſita concedenda ſint.

24 Ex dictis ſequi perſonam illam ab humanitate accipere eſſe hominem, uiciſſimq; humanitati dare ut ſit, atq; exiſtat, ut ſimili quodammodo ratione albedo ſubſtantiæ dat eſſe albam, à qua tamen accipit ipſa ut ſit.

25 In hac perfectiſſima unione, nullam informationis, aut partis rationem intelligendam, ſed ut eſt illa perſona ſuper omnia, ita ſibi ſuper omnem modum, ſupraq; captum omnem, humanam naturam adiunxiſſe.

26 Aſſumpſiſſe Chriſtum terrenum corpus, rationalemq; animam, utrumq; quidem tempore ſimul, ſed non natura, fuit enim alterum alteri anima, nimirum corpori ut aſſumeretur ratio, & ſenſitiuæ animæ intellectiua, omnia tamen ita facta, ut ſimul & anima carni coniuncta fuerit, & utrumq; Deo.

27 Animam Chriſti & omnibus uirtutibus, quæ imperfectionem non includunt, & omnibus donis gratijſq; fuiſſe perfectam.

28 Gratiam gratum facientem tantam fuiſſe in Chriſto, ut & ſi Deus maiorem facere potuerit, non tamen ad plura ſe extendentem, quicquid enim gratia effici poteſt, totum Chriſti gratiæ fuiſſe tributum: quare hac ratione concedi poſſe, fuiſſe

infinitam, augeri autem ipſam potuiſſe, non eſſe negandum.

29 Gratiæ *huius plenitudinem, ita* Chriſto *fuiſſe propriam, ut ad ipſam nullus peruenire unquàm potuerit, potuerit tamen à deo homini puro conferri.*

30 Chriſti *proprium eſſe, non hominū ſolum, ſed & Angelorū caput eſſe, idq; ei non alia, quàm habituali gratia conuenire.*

31 Habuiſſe Chriſtum, *præter ſcientiam diuinam ac beatam, duas alias, infuſam nimirum & acquiſitam.*

32 Beata *ſcientia non quidem comprehendiſſe uerbum, cognouiſſe tamen quicquid ullo in tempore aut fuit, aut erit futurum.*

33 Infuſa *uero ſcientia ei fuiſſe apertum, quicquid reuelatione poteſt innoteſcere.*

34 Per *acquiſitam porrò ſcientiam, neminem æquali experientia tam multa cognouiſſe, alioqui multò plura alijs, quàm* Chriſto, *per experientiam fuiſſe nota.*

35 *Scientiam hanc in plures habitus fuiſſe diuiſam, infuſam autem, ut perfectior fuit Angelica, ita minus ea fuiſſe diſtinctam.*

36 Habuiſſe Chriſtum *non quidem omnipotentiam, quà homo, ſed tantam potentiam, quanta nulli unquàm fuit creaturæ conceſſa, ut uero eius humanitas inſtrumentum intelligitur Diuinitatis, ad omnia opera miraculoſa efficienda, immò, & ad gratiam infundendam, & quoduis creationis opus fuiſſe potentem.*

37 V*erbum diuinum uoluntate aſſumpſiſſe non defectus modo, ſed & eis ſubiacendi neceſſitatem, neq; omnes tamen, ſed illos qui ad redemptionis opus facere uidebantur.*

38 In Chriſto *neq; ignorantiam fuiſſe, neq; fomitem aut peccandi potentiam, quamuis animam aſſumpſerit dolori, triſtitiæ, timori, admirationi, alijsq; eiuſmodi obnoxiam affectibus.*

39 In Chriſto *comprehenſoris ſtatum, uiatoris ſtatum non im-*

pediſſe.

40 Dici quidem *poſſe, homo eſt* Deus, *&* Deus *homo, ſed non ut eſt concedendum*, Deum *factum hominem, ita diſci poſſe, hominem factum* Deum, *quamuis & id conceſdi poſſit ſanè intellectum; factum enim eſt cum id ante non eſſet, ut homo ſit* Deus; *immo ut hic, ſeu* Chriſtus *homo exiſtens, ſit* Deus, *fuit enim ſemper hic* Deus, *ſed non ſemper fuit hic homo, ſeu homo* Deus, *nunc autem & homo eſt, &* Deus, *& id factum eſt.*

41 C*hriſtum eſſe creaturam, & concedi poſſe, & negari, eſt enim uerbum increatum, creata autem humanitas, cuius ratione & ille homo quodammodò creatus eſt, idq; de hac etiam propoſitione ſentiendum,* Chriſtus *incipit eſſe; quamſuis enim ſemper fuerit uerbum, non tamen ſemper uerbum fuit Chriſtus, quare factus eſt, incepitq; eſſe* Chriſtus, *atq; adeo* Chriſtus *eſſe cœpit, melius tamen utrumq; negari, ne uel patre minor ſimpliciter, uel aliquando non fuiſſe credatur.*

42 C*hriſtum ita eſſe* Deum *& hominem, ut non duo tamen, ſed unus dicendus ſit; duo tamen habere, id eſt duas naturas, faſtendum.*

43 D*uas fuiſſe in* Chriſto *uoluntates, diuinā alterā, alterā humanā, huiusq; alteram ſenſitiuam, alteram intellectiuam, neq; in his fuiſſe unquàm contrarietatem.*

44 N*on diuina* CHRISTVM *meruiſſe actione, ſed humaſna, nobis quidem gratiam, ſibi autem gloriam, non quiſdem animæ, quam ſemper habuit, ſed corporis qua caruit aſliquando.*

45 O*raſſe* CHRISTVM *patrem cui ſubiectus erat, exauſditumq; fuiſſe ſemper, quamuis id aliquando poſtularit quod uidemus non ei fuiſſe conceſſum.*

46 Chriſtum ſacerdotem ſimul fuiſſe, & hoſtiam, eiusq; ſacerdotium in æternum manere ſecundum ordinem Melchiſedech.

47 Chriſtum etſi adoptiuus dici non debeat, meritò tamen dici prædeſtinatum, ut eßet filius Dei: fuit enim in tempore factum ſecundum diuinam prædeſtinationem, ut hic homo eßet filius Dei, qui antea cum homo non eſſet, neq; erat homo filius Dei.

48 Chriſti non ſolum diuinitatem, ſed & humanitatem, crucem, imaginemq;, adoranda eße adoratione latriæ, quamuis & his, ut res Chriſti ſunt, honor quidam adhiberi poſſit à latria ualde diſtinctus. Quod ſi materialiter intelligantur, ideſt ut res quædam, ſeu figuræ, nullum eis omnino honorem deberi.

49 Matri Chriſti, & ſanctis, nullo modo latriæ cultum adhibendum, ſed alium, tantoq; minorem, quantò eſt creatura Deo inferior.

50 Non probari nobis quod quidam aſſerunt, non imagines ipſas adorari, ſed ad imagines illa quorum ſunt imagines, experientia enim eccleſiaſtici ritus, cultusq; eſſe compertum, etſi in ſanctos omnis honor refertur, ita tamen id fieri, ut etiam imago adoretur, non quidem lignum ipſum, aut colores & figuræ, ut talia ſunt, ſed ut in ipſis id inſpicitur cuius ſunt imagines, ſumuntur enim imagines tanquàm res quæ adoratur, neq; id ab illis eſſe negandum qui uident quàm alia ratione fundantur preces ad imaginem, & ſcripturam, quæ nihilominus tamen in mentem reducit id quod adoramus. Quod ſi quis contendat, non eſſe pugnandum, cum certum ſit ſolius prototypi ratione haberi, quæſtioq; de ſolo loquendi modo eße uideatur.

51 Beatiſſimam Chriſti matrem, piè credendum ſine peccato originali fuiſſe conceptam, illorum uerò omnino redarguēdum affectū, qui uel eam non potuiße ſine peccato concipi, uel non cum peccato, uehementiſſimè contendunt, cum aperta ſit contra hos omnium ferè doctorum auctoritas, contra illos uerò plurimæ efficaciſſimæq; rationes.

52 San-

52 *Sanctificatam uerò ita fuiſſe, ut non modo ligatus ſed & (ſi tamē id ab illo diuerſum eſt) ſublatus fuerit ipſe fomes, atq; ita tanquā gratia ſublatus, ut nullo modo aut peccauerit aliquando, aut peccare potuerit.*

53 V*irginem porrò ſemper fuiſſe, uirginitatem tamen quam in animo ſemper habuit, de Ioſeph conſenſu uoto firmaſſe, non uſq; adeo certum eſſe, ut dici non poſſit ſolum in ea animi ſine uoto fuiſſe conſtantiam, eoq; magis quòd illa cunctis fuerit creaturis ſanctior, Deoq; propinquior.*

54 V*irginem ſanctiſſimam cum eſt in utero inuēta habēs de ſpū ſancto, immo et cum eſt ab angelo ſalutata, in domo eadē habitaſſe cū Ioſeph; alioqui famæ pudoriq; uirginis non fuiſſet cōſultum*

55 C*hriſtū ex uirgine ſpiritu ſancti uirtute fuiſſe conceptū, filiū tamē eſſe aut Trinitatis, aut ſpiritus ſancti, non concedendum.*

56 *In primo conceptionis inſtanti Chriſtum ea gratia fuiſſe repletum, qua & mereri potuerit, & Deum per eſſentiam uidere.*

57 *In Chriſto ut ſunt duæ ueræ realesq; natiuitates, ita duas eſſe realesq; filiationes.*

58 *Stellam quæ magos duxit, non unam fuiſſe, ex cœleſtibus, ſed de materia aliqua, uel ex nihilo tum creatam.*

59 *Circunciſionem à Chriſto non neceſſitate fuiſſe, ſed uoluntate ſuſceptam. Indos uerò non excuſari qui ſe dicunt ad Chriſti imitationem circuncidi.*

60 *Quæ Baptizato Chriſto columba apparuit, animal ne uerum fuerit, & ſi conuinci omnino non poſſit, probabile tamen ualde eſſe columbæ tantùm fuiſſe ſpeciem.*

61 *Chriſtum pauperem uitam duxiſſe, atq; eo modo, qui incarnationis fini, ideſt hominum ſaluti, maxime conueniret.*

62 *Dæmonem cum ad Chriſtum tentandum acceſſit, & diuinitatem eius exploraſſe, & humanitatem ad peccandū incitaſſe.*

63 *Miraculorū Chriſti illud fuiſſe primum, quod fecit in cana galileæ;*

64 Chriſti miracula ſatis oſtendiſſe eius diuinitatem.

65 Claritatem illam Chriſti, quam in eius transfiguratione euange-liſtæ apparuiſſe commemorant, glorioſam fuiſſe, ſed miracu-lo quodam ab anima in corpus redundantem.

66 Chriſti paſſionem non fuiſſe ſimpliciter ad hominum ſalutem ne-ceſſariam, ſed quàm maximè conuenientem.

67 Nihil impediſſe neq; fruitionem, neq; paſſionem, quominus uel ma-ximè paſſus fuerit, uel perfectè diuina fuerit fruitione beati-tudineq; potitus, idq; Deo ita uolente ac diſponente, contigiſſe.

68 Chriſtum & ſponte, & ex præcepto nihilominus patris, obedien-tiaq; fuiſſe paſſum.

69 Probabile eſſe, iudæos neq; Ieſum Deum eſſe, neq; Chriſtum co-gnouiſſe, utrumq; autem & potuiſſe eos cognoſcere, & debuiſ-ſe, Dæmones uerò ſi utrunq; aliquando cognouerint, nihil eſſe mirandum.

70 Chriſti paſſionem, noſtrum fuiſſe meritum, & ſatisfactionem, noſtram deniq; redemptionem à peccato, & diabolo, fuit enim ſacrificiũ illud Deo patri pro humano genere quàm gratiſſimũ.

71 Chriſti paſſionem, nobis ianuam cœli aperuiſſe, ei autem peperiſ-ſe immortalitatem.

72 Per mortem, neq; ab anima neq; à carne Chriſti diuinitatem fuiſ-ſe ſeparatam.

73 Neq; in triduo Chriſtum fuiſſe hominem, neq; per omnia idem fu-iſſe corpus eius uiuum & mortuum.

74 Chriſtum non totos tres dies fuiſſe in ſepulchro, ſed unũ tantum, unamq; noctem, ſic tamen, ut tres dies dici potuerit, tresq; no-ctes fuiſſe ſepultus.

75 Chriſtum ad inferos realiter deſcendiſſe; An autem triduo in uno ſemper eodemq; loco fuerit, non eſſe uſquequaq; manifeſtum.

76 Vt negandum non eſt, patrum animas Chriſti aduentu fuiſſe li-beratas, eductasq; ab inferis, ita non eſſe temere aſſerẽdum qui,

quotue eorum qui in purgatorio tum erãt, ſuerint per eius gratiam libertate donati.

77 *Chriſtum reſurrexiſſe tertia die, fidelibus eſſe fide manifeſtum, An autem cum eo alij etiam ita reſurrexerint, ut non iterũ mortui ſint, neq; negandum pertinaciter, quia probabile eſt, neq; temere affirmandum, quia certum non eſt.*

78 *Chriſti reſurgentis corpus, uerum, integrumq; fuiſſe, id nimirum totum habens quod ad humanæ naturæ ſingularis rationẽ pertinet, in quo cum nulla ratione ſanguinem defuiſſe credendum ſit, de alijs certè humoribus, & quibuſdam id genus, affirmare quicquam non auſim.*

79 *Quod quidam dicunt, Chriſti reſurrectionem noſtræ cauſam eſſe efficientem, certè intellectu eſt difficile, ſufficere autem quidam aiunt ſi cauſa tantum exemplaris dicatur, ad illud Pauli, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, nos uerò nec horũ ſententiam improbamus, neq; illorum facile reijciendam eſſe exiſtimamus.*

80 *Chriſtum quà homo eſt, aſcendiſſe ad Patris dexteram, ideſt eminentiſſimam gloriam apud patrem, indeq; uenturum in fine ſæculi iudicare uiuos & mortuos.*

DE SACRAMENTIS *in genere.*

1 SACRAMENTVM (*quo nomine à catholicis ſignificatur quoddam rei ſacræ ſignum, quod homini ita adhibetur in noua lege, ut per ipſum is ſanctitatem à deo iuſtitiamq; accipiat*) *rectè eſſe ita à quibuſdam definitum, Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ uiſibilis forma, ita ut eius imaginem gerat, & cauſa exiſtat.*

2 *Definitione hac manifeſtè diſtingui ueteris et nouæ legis ſacramẽta, quã. n. hæc gratiam cõferunt, illa tantummodò ſignificabant,*

3 Porrò gratiæ collationem in noſtris ſacramentis ita eſſe intelligendã ut ea inſtrumẽta credãtur qbus Deus utẽs, gratiã animæ elargitur, nec illud quod multi dicũt ſatis pro ſacramẽtorũ dignitate eſſe uidetur ea cũ nihil efficiãt, cõtinere tamẽ ĩ ſe pactũ diuinũ, atq; adeò gratiæ collationẽ infallibilem, hoc enim ſi uerum foret, neq; illa eſſent inſtrumenta dicẽda, neq; à ſacramentis ueteris legis omnino differrent,

4 Verũ cũ inſtrumentũ nulla res aut eſſe, aut dici ſoleat, niſi uirtutẽ aliquam à principali agẽte accipiat, meritò ſemper dubitatũ fuiſſe, et quæſitũ, quænã hæc eſſet uirtus qua ſacramẽta agere dicũtur ĩ aĩam, eamq; iuſtificare; quod qa explicatu difficile uidebatur, plurimi id quod dictu facilius eſſe, minusq; ad defendendum uideretur negocij habere eligẽtes, omnem penitus uirtutem à ſacramentis ſuſtulerunt, quorũ nos ſententiã minime probãtes, ita quæſtioni reſpondendum exiſtimamus.

5 Primò modũ rõnemq; ſupernaturaliũ operationũ nõ eſſe ad normã aliarũ ſeu naturaliũ, ſeu artificialiũ actionũ exigẽda, cum multo aliter fiat, lõgeq; diuerſis tũ agẽte, tũ ẽt uia peragantur. Quare non facile peruestigari poſſe cuiuſmodi uis illa ſit, quã Deus in ſacramẽtis uoluit ineſſe, cũ præſertim neq; naturaliũ, neq; artificialiũ ĩſtrumentorũ aut uis, aut agẽdi rõ, ſit uſq;quaq; cõperta.

Deinde ut probabile ẽ artificis inſtrumẽto nihil ab artifice ipſo præter motũ uſumq; cõferri, quo ad illa ſe extendat ad quæ alioqui nullo ſe modo poſſet extẽdere, idq; dici uim inſtrumẽti ab arte datã, ita ſiquis ſentiat ſolũ uſum motumq; quo ſacramenta à deo ut inſtrumẽta mouẽtur uim dici qua efficiãt gratiã, eamq; (quũ alioqui non poſſent) in anima gignant, non eſſe improbandum.

Poſtremo, ut certius affirmamus, Deũ tribuiſſe ſacramẽtis quãdã ſanctificãdi uirtutẽ, nõ ſecus atq; rebus naturalib. uires aliquando dedit qbus proprias quæq; operationes poſſent exercere, non tamen illã uim, aut motũ eſſe, aut aliquid in modũ corporis exten-

ten-

tenſum, ſed neq; ſpiritualem eſſe (quamuis id ei propter effectũ tribui poſſit) ſed ut in Deo uirtus eſſe dicitur quæ nõ aliud ta- men eſt quàm ipſe Deus, & in calore calefaciendi uis, quæ non eſt aliud quàm ipſe calor, ita ſiquis dicat ſacramẽtum, à Deo uir tutem quandam accipere, non aliã à ſacramento diſtinctam rem intelligendam. Etenim ut calor à natura habet ut calefaciat, ita aqua à ſupernaturali agẽte accipere poteſt ut iuſtificet, quo fit, ut ſicut Deus calefacit & calor etiã, ita & ipſe iuſtificare di- catur & aqua etiam, Non quidem principaliter hæc, ut neq; om nino principaliter calor calefacit, ſed inſtrumẽtaliter, quod ma- gis patebit ſi quis naturalem calorem conſideret, à quo cũ uidea mus propter ipſius cũ aĩa coniunctionem carnẽ produci, cur non ẽt ſacramentũ propter Dei inſtitutionẽ gratiã efficere confitea mur; Quod ſi quis dicat hac ſententiã neq; qcq; ſacramẽtis tri- buere, neq; ab illa differre quæ ſuperius improbata eſt, Reſpon- demus. Nos, quicqd quiſq; ſentiat, id affirmare, ſacramẽtis uir- tutem quãdam concedendam eſſe, & inſtrumenti ueri quis ſu- pernaturalis rationẽ. Nec tamẽ quicq; propterea ipſi ſacramen to ab eo re diſtinctum ſuperaddi. qua in re ſi illi nobiſcum ſen tiunt qui ſuperius diſſentire ab hac opinione uidebantur, tanto magis hæc nobis fuerit probanda ſententia.

6 Sacramenta ueteris legis non fuiſſe inſtrumẽta gratiæ, utpote in- quibus non fuerit illa uis ad effectum hunc à Deo inſtituta, ſed ſolum Deum tum gratiam ad eum modũ illis licet ſuſceptis de- diſſe, quo eam nunc confert diſpoſito homini, cuius tamen per li berum arbitrium diſpoſitionem nemo Dei inſtrumentũ ad gra- tiam efficiendam dixerit. Quod ſi quis circunciſionem proferat inqua gratia conferebatur, Dicimus, gratiã quidem circunciſis olim fuiſſe collatam, ſed non per circunciſionis ſacramẽtum, ue- rùm ab ipſo ſoloq; Deo ita inſtituente, dare inquam circunciſis gratiam ſed uirtute fidei, cuius ſignaculum erat ipſa circun-

ciſio & profeſſio quædam, quemadmodum & nunc baptiſmus, cuius tamē & circuncißionis non eſt, quod ad hanc inſtrumentariam uim attinet, eadem ratio, tum quia Chriſtus nondū erat qui per baptiſmum ut inſtrumentum agit, tum quia non diceba tur homo per illam, ut nūc per baptiſmum dicitur regeneratus, nec tum miniſter diceb at, ego te regenero aut purgo in nomine patris, & ut nūc dicit cum baptizat. deniq; (uidemus enim hæc non admodum urgere) quia ita eccleſia ſtatuiſſe uidetur.

7 *Sacramenta nouæ legis ſine determinatis & rebus & uerbis nec quicquam efficere, neq; eſſe ſacramenta, id tamen ita eſſe intelligendum, ut dum in illis maneat quod ad eſſentiam & ſignificationem pertinet, quicquid mutari cōtingat, ſacramenti integritatem manere credendum ſit, quamuis à peccato ille immunis non ſit, qui non per omnia eccleſiæ modum ritumq; ſeruat in ſacramentorum adminiſtratione.*

8 *Sacramētorum quædam characterem imprimere in anima ſuſcipientis, ideſt qualitatem quandam, quæ licet à quibuſdam in ſecunda qualitatis ſpecie collocetur, & intellectui aduenire dicatur, certum tamen non exiſtimo eſſe, uel in qua illa ſpecie ſit, cum poſſit & in quarta poni, & in prima, uel in qua animæ parte ſit conſtituenda, dixerit enim non improbabiliter quis, eam eſſe in animæ eſſentia, & qui eam aſſerit, aut in uoluntate eſſe, aut in ea ſimul & intellectu, non adeo abſurdam ſententiam profert, neq; mirum cuiquam uideri debet ſi idem ſigillum in duabus eiſq; diuerſis rebus ponatur cum unum idemq; Sacramentum uideamus ex diuerſis rebus cōflari, quamuis huius quæ charactere ſit ſignationis uſq; adeo ſit ignota ratio, ut ſi mihi integrum eſſet, licereq; exiſtimarem eam dicere non aliud eſſe quam relationem quandam ſeu deputationem, ut inquit Durandus, ita ſentirem.*

9 Homini ſemper fuiſſe ad ſalutem neceſſaria sacramenta quàm-

uis pro temporum diuerſitate diuerſa, nunquam enim ſine fide ſalus cuiquam potuit contingere, quam ſimul etiam oportuiſſe aliquo ſigno profiteri uel illud oſtendit in ſacrificijs oblationibusq; iam inde ab initio mūdi hominum ſtudium, quod ipſis etiam gentibus idololatris ſcimus non defuiſſe.

10 Quæ Sacramenta fuerint in lege naturæ ad ſatisfactionem inſtituta non admodum conſtare, probabile tamen eſſe quod quidam à Gregorio acceptum affirmant, paruulis ſolam parentum fidem, id eſt ſine ullis ſacrificijs ſed eum aliqua tamen exteriori proteſtatione, uel ſolis uerbis, uel aliter facta, adultis autem oblationes cum fide profuiſſe.

11 Gratiam Sacramentorum ſeu ſacramentalem quamuis quidam uelint aliud quoddam donum eſſe à gratia re diſtinctum, nō tamen ita eſſe ſentiendum, ſed eſſe gratiam, ſeu eiuſdem cum gratia illa ſpeciei, quæ ſine Sacramentis quandoq; confertur. Quamuis ipſam aliquid præterea habere non diffiteamur.

12 Sacramenta ex inſtitutione diuina extitiſſe, ſolus enim Deus illis eam uim quam diximus potuit tribuere, potuiſſe nihilominus eam alicui poteſtatem conferri, ut ſacramenta poſſet inſtituere, hoc autem non fit, quin Deus ſemper Sacramentorum inſtitutor habeatur.

13 Chriſtum poteſtatem excellentiæ quam habuit nulli potuiſſe communicare, cum nec Chriſti (niſi Deus eſſet) merito Sacramenta gratiam conferre potuerit.

14 Sacramenta non ideo maiorem gratiam conferre, quòd per meliores adminiſtrentur: poſſe tamen hos à Deo aliquid impetrare, quo ille qui Sacramentum ſuſcipit adiuuetur.

15 A peccatore poſſe quemlibet petere Sacramentum, nec propterea illum ad peccatum induci, cum optimam ab eo rem alter poſtulet, & quæ ſine ullo peccato fieri poſſit.

16 peccatorē in ſacramēti adminiſtratione noua ſe culpa obſtringere, quē, ſi ſacerdos ſit, nec in caſu neceſſitatis a peccato excuſamus.

17 Ab excommunicato, ſi ſit occultus, licere accipere ſacramentum communis eſt ſententia. Nam ſi denuntiatus ſit, uel nulla poſſit tergiuerſatione celari, nulla (ſecundum probabilem quorundam ſententiam) poteſt ratione licere. Ego uero fateor me nō ſatis intelligere, quomodo quis ab excomunicato poſſit ſine peccato ſacramentum petere, ſi ille adminiſtrare ſine peccato non poteſt.

18 Poſſe etiam Angelum ſacramenta conferre, id tamen ſi fiat, non ex inſtitutione Chriſti, ſed diſpenſatione contingere.

19 Sine miniſtri intentione non perfici ſacramentum.

20 Sacramentorum omnium (quæ ſeptem ſunt) potiſſimum illud eſſe ſine controuerſia in quo realiter continetur IESVS Chriſtus, Deus, & Dominus noſter, Qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

LAVS DEO.